

dere. Eodem anno Almericus a Castrovallo Præturam exercuit Civitatis, quo anno Putea gens patriam repetiit. Jacobus Lanzavecchia cum factione sua solum vertit. Hoc etiam anno moritur Almericus apud Novariam. Capitur per Alexandrinos oppidum Serravallis. Franciscus Canepanova in Almerici demortui locum sufficitur.

MCCLXI. Bastardus Montisferrati creatur Prætor Alexandriæ, quo anno Manfredus Marengus moritur. Papienses nulla ratione pacis, quam priori anno fecerant, habita, Alexandriæ territorium subvertunt, quo etiam anno Pavonem castrum ædificarunt, ut esset tamquam antemurale Alexandrinorum excursionibus.

MCCLXIII. Gullielmus de Petra Prætor Alexandriæ fit maximus conflictus inter Alexandrinos, & Montisferratenses ptope Ruaijam, seu Madium: capiuntur utrinque multi milites, dubio Marte pugnatum.

MCCLXIV. Sodeacius Præturam gessit Civitatis. Sexadium obsidione cingitur. Nicæa oppidum amittitur, & civitas Aquarum. Eodem anno die decimoquarto mensis junii Urbanus IV. Pontifex maximus ad preces Præpositi, & Canonorum Ecclesiæ S. Martini (nam major Ecclesia nondum erat extructa), qui summo Pontifici dixerant, se non posse commode inservire Ecclesiæ memoratæ, & Parochianorum commodis superesse, & propterea modo summi Pontificis accederet assensus, donationem facere habebant in animo de ipsa Ecclesia cum suppellectilibus omnibus, quæ ad Ecclesiam pertinebant, ac prædiis fratribus Ordinis S. Augustini Heremitarum, qui tunc temporis nullam habebant habitationem in dicta Civitate; qui Pontifex injunxit Albertino Episcopo Aquensi, ut rationem rerum supplicatarum recognosceret, & ad se per litteras referret; mox anno tertio sui Pontificatus omnia in precibus contenta concessit (1). Eodem anno complura castra Marchionis Montisferrati obsessa fuerunt per Alexandrinos, & Derthonenses. Morte intercedente Urbani nihil præclarum factum fuit: cui Urbano successit Clemens IV. patria Narbonensis, qui prius appellabatur Guido Fulcadius.

(1) *Extat par. 1. doc. 228. Col. 239.*

MCCLXV. Obertus Astigno (1) apud Nicæam a Marchione Montisferrati debellatur, exercitus Regis Caroli iter faciens in Apuliam concessit.

(1) *Forte a Spigno.*

MCCLXVII. Delphino Cane Præturam gerente Alexandriæ dissensit populus a communi ob consulum ignaviam, & Antiani, seu Rectores eliguntur pro Bergolio Gullielmus Balinzana, & Jacobus Sambuellus, qui populum rexerunt (1) iuste, tum continenter absque ulla animorum perturbatione; quamvis postmodum ab his, qui alios opprimere conabantur, deponerentur; quo tempore vigeat in Bergolio societas sancti Petri (ita enim appellabatur) alens ducentorum peditum selectorum cohortem, qui omnibus viribus in id enitebantur, ne qua dissensio in Civitate oriretur, neve quisque ullius injuria opprimeretur. Gens Putea hoc eodem anno patriam repetiit.

(1) *Erectum in MS.*

MCCLXIX. Franciscus Turris Mediolanensis Prætor declaratur Civitatis; Guidonem Castillioneum judicem habuit, & Caroli Siciliae Regis concordia cum Alexandrinis fit.

MCCLXX. Alexandrini, cum Carolo Rege Siciliae pace inita, aduersus Marchionem Montisferrati exercitu instructo Aquensem civitatem expugnant, castrum summa vi capiunt, in quo cum adesset Rainerius Bastardus Marchionis avunculus, captivus Alexandriam ducitur, qui in vinculis vita fungitur. Hocho Ardinus Legatus Alexandriæ agit pro Carolo Rege.

MCCLXXI. Accursus Lanzavecchia Genuensium Prætor renunciatus est, ac eadem Prætura vix per semestre spatium functus, quandoquidem Bononienfium Prætor electus, a Republica missione impetrata, Bononiam se contulit. Eodem anno Brandalixius de Lambertinis Præturam gerebat Civitatis, & ne quid incommodi Alexandriæ contingeret, & ut resisteretur hostibus, & Marchionibus Montisferrati (1), oppidum Quadringenti, fossa, & aggere, & aliis necessariis cingendum esse curavit. Quo etiam anno bellum iterum cum Marchione Montisferrati renovatur. Turris Montaudeli per Alexandrinos recipitur. Astenses cum Alexandrinis societatem ineunt, ita ut communibus armis communem hostem repellerent. Marchio Montisferrati hoc præsentiens, atque multorum litteris commonefactus, Alexandriam dolis opprimere contendit, & propterea petiit, ut pacifice urbem liceret ingredi (2). Sed factum præsentientes Alexandrini, se admissuros eum in urbem tantummodo cum domestica familia responderunt. Cæterum in castrum petere, & una cum multa manu haud patere aditum (3). Sic eo ingresso, cum ex multis signis cognosceretur ejus perfidia, quam jam in animo volutaverat, illum intempesta nocte correptum in carcerem conjiciunt, quem precibus summorum Principum, ut emitterent, nunquam induci potuerunt. Sed per annum unum, & viginti continuos dies carceribus inclusum retinuerunt, in quibus (4) vitam cum morte commutavit. Qui cum essent pluribus injuriis ab ipso, ejusque prædecessoribus affecti, adeo universi in eum exarserunt, ut edicto publico cogerentur Alexandrini, qui commercia habebant in Monteferrato hoc proposito cavere, ut nulli Alexandriæ cives in posterum, aut eorum filii, nepotesve Marchionis Montisferrati potestati suppositi essent; atque hac eadem de causa nomina Marchionis Montisferrati tunc abolerentur, & a locis publicis abraduntur, & expunguntur.

(1) *Fossa & in MS. (2) Actum in MS.*

(3) *Manu pateret aditus in MS. (4) Quo.*

MCCLXXII. Gandulpho Palastrello Prætor Alexandriæ castrum Aquarum ab Alexandrinorum manibus eripitur; & contra Alexandrini Carpanetum, Rocham, & Conzanum viprehendunt (1).

(1) *Prehendens MS.*

MCCLXXIII. Die septimo mensis augusti Johannes Manfredus, & quidam Grimaldus ex Gaudio oppido insigni, & opulento Marchiones illud cum universa ditione, & comitatu suo dono dederunt Republicæ Alexandriæ Gandulpho Palastrello, de quo supra legato Regis Caroli intercedente, quo tem-